Disputatio Medica Inauguralis de Apoplexia.

— 1729. —

25166/P

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS.
DE
APOPLEXIÂ

QUAM
DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Rectoris Magnifici,
PETRI VAN MUSSCHENBROEK,
A. L. M. Philoſophiæ & Medicinæ Doct. Philoſophiæ & Matheſeos Profeſſoris Ordinarii,
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis* MEDICÆ *decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,
Eruditorum Examini ſubmittit

JOANNES VAN GOUDENBERG, *Ultrajectinus.*

Ad diem V. *Octobris H. L. Q. S.*



TRAJECTI ad RHENUM,
Apud ALEXANDRUM VAN MEGEN, Academiae Typographum. MDCCXXIX.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
APOPLEXIA

CAPUT. I.

De Apoplexiæ Etymologia.

§. I.

QUemadmodum crudeles Tyranni, magnique Principes plurimis heroicis titulis donari ſolent, ut ex iis eorum excellens poteſtas clariſſimè queat innoteſcere: ſic etiam veteres, & Græci, & Latini, diro huic morbo varia nomina attribuerunt, quibus crudeliſſimi Tyranni pernicioſiſſima vis & natura maniſeſtiſſimè indigitatur. Apoplexia, Græcis ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν dicitur, cujus verbi vis originem ducit a concidendo, quia homo,

quem hic affectus invadit, ceu fulmine ictus, aut victima ad aram cæſa ſubito concidit. Ἀφωνίαν & Apoplecticos ἀφώνους appellat Hippocrates 4 de rat. vict. in acut. ſect. Aph. 51. & ſect. 7. Aphor. 55. quod hoc malo correpti ſtatim obtumeſcant. De voce vero ἀφωνίας notandum, etiam ſi vox lædi poſſit ſolum inſtrumentis voci deſtinatis læſis: tamen Hippocrates, ut Galenus in Comm. ad allegatos Aphoriſmos docet, ἀφώνους κατεξοχὴν eos ſaltem, quibus ſenſus & motus ablatus, & qui non aliter atque attoniti ſine ullo ſenſu & motu proſtrati jacent, ſub nomine ἀφώνων intelligit, ſub uno nempe manifeſto ſymptomate τῆς ἀφωνίας omnes voluntarias actiones læſas comprehendens. Fit autem hoc & in Apoplexia & in Caro. Ideoque ἄφωνον nomine utroque affectu laborantes comprehendit Hippocrates. Aphoniam quidem pro Caro ſumit, ſect. 5. Aph. 5. pro Apoplexia vero locis modo allegatis. Latinis morbus attonitus, ſtupor attonitus, morbus ſideratus & ſideratio appellatur, quæ nomina huic affectui (propter dira ſymptomata ægris in hoc morbo accidentia) auctores dedêre, quod quaſi fulmine, icti ægri concidant. Nonnullis quoque reſolutio nervorum, aliis vero paralyſis univerſalis a Paracelſo denigue Gutta dicitur.

CAPUT II.

De Apoplexiæ Definitione, Deviſione, & ſede.

§. I.

Eſt ergo Apoplexia, juxta certam & ſatis accuratam plurimorum auctorum definitionem, ſubita & improviſa omnium actionum animalium, motus ſcilicet, ac ſenſuum internorum & externorum cum principum facultatum læſione, abolitio, cum ſomno quoque profundiſſimo, ſtertore & ſibilo, torpore & ſtupore, difficili reſpiratione, & pulſu languido & parvo; ita ut mortuis ſimiles nonnunquam appareant Apoplectici, a quibus ſola

ſola reſpiratione, pulſus celeritate, ac faciei colore tantum diſtinguuntur. Veritatem hujus definitionis ſatis clarè patêre puto ex diris iſtis ſymptomatibus, iis, quos hic affectus invadit, accidentibus. Illi nempe fulmine quaſi tacti, nullo rationis veſtigio remanente, ſubito concidunt, quamvis ut plurimum ſenſuum hebetudo, aut aliqualis fatuitas præcedat, & non raro debilitato cerebro, quaſi ad hunc morbum ægri diſponantur, ſenſimque Judicii evadant ſtupidioris, præſertim ii, qui jam longa fatigatione debilitati ſunt.

II.

Definitione jam abſoluta, ordine nunc devolvimur ad diviſionem; in qua a Principe noſtro Hippocrate incipiemus, & effata venerandi iſtius ſenis ſequemur qui a majore & minore ſymptomatum vehementia hunc affectum diſtinguit in Fortem, & Debilem, ſect. nempe 2. Aph. 42. hæc inquit: Apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile eſt, Debilem vero non facile. Fortis ergo Apoplexia, ſecundum venerabilem iſtum ſenem, illa eſſe videtur; quæ, ſcil. cum membrorum maxima reſolutione ac flacciditate, id eſt, abſoluta ſenſuum & motuum deſtructione conjuncta eſt: item quæ ex aliis diris ac gravioribus ſymptomatibus (in Definitione allegatis ut & in Diagnoſi allegandis) aut aliis non levioribus morbis prægreſſis, originem ſuam traxit. Debilis vero ſecundum Hippocratem ea eſſe videtur; in qua actiones animales quidem ſunt depravatæ, non penitus vero abolitæ, in qua liberior quoque permanet reſpiratio, pulſuſque validior, unde, niſi novus accedat paroxyſmus, ſenſim ægri ad ſe redeunt & reſtituuntur, aut ſaltem Paralytici evadunt.

III.

Galenus in Aphoriſmum 42. ſect. 2. ejuſque ſequaces, Apoplexiam in quatuor gradus, ſeu ſpecies, dividunt. Nos vero cum modernis tantum duas Apoplexiæ ſpecies agnoſcimus, ſanguineam nempe & Pituitoſam. Per ſanguineam eam intelligentes, quæ ex repletione, vel vaſorum ſanguiferorum compreſſione

oritur: Ita ut principia nervorum a cerebri vaſis ſanguineis valde diſtentis opprimantur, vel ubi ſanguis quaſi impactus hærens per arterias cerebri liberè ire & per venas redire inneptus fit, vel ubi ſanguis inflammatus & inſpiſſatus coagulatur & vaſa obruit; & tandem ubi jam craſſa, pituitoſa & glutinoſa totius ſanguinis natura reddita eſt. Per Pituitoſam vero eam intelligimus; in qua ſerum vel pituita principia nervorum infarcit, & influxum ſpirituum animalium in nervos prohibet.

IV.

De ſede Apoplexiæ magna controverſia eſt tam inter veteres quam inter neotëricos; Ita ut veteres cerebrum pro parte affecta ſtatuerint, non totam vero cerebri ſubſtantiam, verum ſpecialiter tantum cerebri ventriculos ſero, pituita, aut alio quovis humore oppletos, eo ratiocinio adacti, quod eaſdem cavitates ſpirituum animalium præcipuorum ſenſus & motus inſtrumentorum officinam reputabant, ex quorum infractu aut ſpirituum impediretur generatio, aut eorundem impediretur in partes influxus. Neotëricorum vero quidam huic morbo ſubjiciunt nervos & ſpiritus animales in iis contentos. Helmontius tract. de ſede animæ, Præcordia & ſiniſtrum cordis ventriculum ſtatuit, Paracelſus cerebrum, pulmones & meatus aëreos accuſat, a quo tamen diverſus eſt Quercetanus cor tantum accuſans. Williſius corpus calloſum in cerebello hujus morbi ſedem eſſe putat, ſubjectumque eſſe ſpiritus animales, nempe corpus calloſum incolentes. Experientiſſimus Wepferus medullam cerebri & cerebelli ſubſtantiam accuſat. Carteſiani denique, poros cerebri hic eſſe male efformatos & obſtructos, vel a pituita, vel a ſanguine arterias nimium diſtendentibus vel comprimentibus rationibus ſuis probant.

V.

Cum nimis tædioſum eſſet, in omnium auctorum ratiociniis recenſendis, tempus noſtrum impendere, multaſque paginas implére: hiſce contenti erimus, & cæterorum (quæ huc adferri poſ-

poſſent) innumeris opinionibus omiſſis, noſtram ſubſcribemus opinionem, cum iis nempe, pro ſede hujus morbi, agnoſcentibus vaſculoſam & tubuloſam cerebri ſubſtantiam, cum medulla cerebri oblongata, medulla ſpinali & glandulas lymphæ excretorias, quatenus hæ partes obſtructæ vel compreſſæ liberum ſpirituum animalium influxum impediunt, quo fluxu, in nervis curſum ſuum tenente, impedito, ceſſat motus voluntarius, ceſſat ſenſus, ceſſat pulſus, ceſſat quoque ipſa reſpiratio, & tandem terribiliſſimum illud ſequitur ſymptoma: Mors ſcil: ultima linea rerum dicta.

CAPUT III.

De Apoplexiæ Signis Diagnoſticis & Differentia a cognatis affectibus

I.

Quamvis in hujus morbi definitione non nulla ſymptomata (ex quibus hic morbus dignoſci poſſet) recenſuerimus, reſtat tamen, ut recenſita latius explicemus & reliqua omiſſa hic recenſeamus. Ut autem commode progrediamur in ſignorum iſtorum tractatione, duplicia Apoplexiæ ſigna eſſe ponamus, imminentia nimirum ipſum affectum & præſentia.

II.

Signa imminentia Apoplexiæ ſunt, diuturna gravitas & dolor capitis, ac in ſomnum propenſio, ſegnior totius corporis motus, frequens vertigo, tenebræ oculis offuſæ, vel, incerti ac diſcurrentes ante oculos lucis ſplendores, frequens incubus, inſomnia terribilia, in ſomno muci & ſalivæ abundantia, oculi tumidi, ut & ipſorum vaſa turgidula, tremor totius corporis, aurium tinnitus, vox tremula & interrupta, mentis abalienationes, rerum oblivio, triſtitia, magna arteriarum carotidum pulſatio, convul-

vulſiones in ſomno, & plura talia, quæ & ſimilia, imminentia Apoplexiæ ſigna de futuro periculo ægros ſuos moment (notandum vero non ſemper hac omnia ſigna in omnibus Apoplecticis præcedere) nonnunquam enim Apoplexia ſubito homines invadit, prodromis hiſce non præmiſſis.

III.

Signa vero jam præſentis affectus ſtatim ſeſe, manifeſtant. Homines enim ea correpti, ſenſu ac motu privantur, & moribundis ſimiles jacent, ſtertunt ac difficulter ſpirant; ſubitus quoque fit interdum lapſus cum ſæpiſſimo clamore & mox oritur tanta reſpirationis difficultas, ut ſenſum quaſi effugiat, ſubito quoque omnes actiones animales e medio tolluntur, & non raro quoque fit ſenſus ac motus imo mentis tam ſubita privatio, ut ſola reſpiratio, difficillima tamen, tantum remaneat.

IV.

Urina ut plurimum Apoplecticorum eſt craſſa, modice palearis, ac veluti æruginoſa, hypoſtaſin farinæ ſimilem habens. Spuma quibusdam ex ore fluit, aliis vel humida in os injecta per nares, rejiciuntur. Pulſus quandoque eſt inæqualis, languidus, & magnus, quamvis nonnunquam & celer. Dormientium inſtar eorum oculi occluduntur, cum quidem vere non dormiunt, ſed veluti trunci, torpidi ac ſtupidi jacent quamvis fixis patentibuſque oculis non nunquam adſtantes intueri videantur, non vident tamen, nec audiunt, ſed nec uſti nec puncti aliquid ſentiunt, ullumve cognitionis aut intellectus ſignum præbent. Animalis denique motus ita eſt labefactatus, ut omnia membra veluti reſoluta langueant & ab adſtantibus manus vel pedes elevata & erecta mox ſuo pondere, ut in cadavere, rurſum concidant: Ita ut Apoplectici cadaveribus in omnibus aliquando ſimiles ſint, & non naro ſuſpicio de quorundam morte oriatur & vita exiiſſe videantur.

V.

V.

Hactenus ſignis diagnoſticis perſpectis, jam proxime differentiarum examini quorum beneficio accuratius morbum ex aliis morbis ſibi cognatis dignoſcere valemus, lineam unam atque alteram largiamur. Apoplexiam itaque cum Paralyſi, Epilepſia, Lethargo, Caro, Syncope, ſuffocatione uterina, Catharro, denique ſuffocativo, maximam affinitatem habere & cum iſtis in multis convenire nemo inficias ibit, in ſequentibus vero ab iis tantum differt.

VI.

Primo quidem a Paralyſi differt Apoplexia; quod Paralyſis ſit motus & ſenſus alicujus tantum partis muſculoſæ, vel totius lateris unius, unde Hemiplegia, vel omnium cervici ſuppoſitarum partium abolitio; vel ſaltem depravatio, vel ſtupor, unde Paraplegia, ſuperſtitibus internis ſenſibus; in Apoplexia hæc omnia deteriora fiunt, cum in ea ſenſus tam interni quam externi, omneſque motus voluntarii ſubito & omnimode aboleantur, nec ita cito deſinat, ſed majus damnum poſt ſe relinquat.

VII.

Ab Epilepſia differt, quod in hac corpus convellitur & motu inordinato concutitur, qui in Apoplexia nullus eſt.

VIII.

A Lethargo differt, quod Lethargo laborantes ſomnolenti ſunt & excitari poſſunt, Apoplectici vero excitari non poſſunt, ſed quaſi mortui jacent, niſi quod ſtertunt. Præterea febris cum Lethargo ſtatim conjuncta eſt, quæ in principio Apoplexiæ non adeſt: progreſſu tamen morbi calor quidam interdum in Apoplexia percipitur.

IX.

IX.

A Caro differt quod hic non ſubito, ut Apoplexia, ſed ſenſim homines invadit, & libera ac facilis ſine ſtertore eſt reſpiratio, aut ſi ſtertor adeſt, adeſt cum ſomno & quidem profundo; ſenſuſque & motus in eo quoque non plane eſt ablatus, ac ſi pungatur æger, ſentit & quamvis non loquatur, ad punctionem tamen movetur & membrum contrahit.

X.

A ſyncope differt, quod in ea ſubito ſpiritibus & ſanguine ad cor raptis muſculi per conſenſum afficiuntur, unde ægri dentes atque os, item manus arcte claudunt, ut vix aperiri poſſint. cum in Apoplexia membra laxa ſint. Neque veluti in Apoplexia in ſyncope ſenſus prorſus eſt ablatus, pulſus vero nullus eſt, ut & manifeſta reſpiratio nulla, aut ſi quæ eſt, majorem æqualitatem ſervat quam in Apoplexia.

XI.

Ab Uteri vero ſuffocatione differt, quod in Apoplexia æger faciei colorem retinet: in uteri ſuffocatione autem color faciei mutatur ac cadaveri ſimilis eſt. In uteri quoque ſuffocatione vis ſentiendi nonnunquam manet, neque reſpiratio impeditur, aut ſi cauſa ſit vehemens, ut etiam reſpiratio ladatur, tunc pulſus ſimul obſcuratur, qui in Apoplexia languidus eſt & magnus: cum cor in Apoplexia ita affectum non ſit, ut inſtanti ſuffocationis periculo valde repugnet.

XII.

A Catharro denique ſuffocativo differt, quod in hoc ſubito humor a capite ad pectus & pulmones decumbens reſpirationem & loquelam ſæpius interrumpit, hominemque ſenſu & motu integro ſuffocat, aut ſuffocationis periculum minatur.

CAPUT. IV.

De Apoplexiæ Cauſis.

§. I.

Hæc ſigna & Differentiæ fuêre, nunc ad ipſa morbi penĉtralia (cauſas ſcil) ex lege methodi noſtræ gradus eſt faciendus. Hic vero quot ſunt cerebra, tot ſunt crabrones.

Cauſa, Ditiſſimi in arte medica Principis Hippocratis opinione, conſiſtere videtur in ſtatione ſanguinis in univerſis arteriis, quod ipſe clariſſime docet, lib. 2. de morb. ut & 4. acut. Per frigerationes, (inquit) ex ſtatione & vertigines & vocis interceptio, huic morbo comitales fiunt & ſemiſyderati. Et iterum: Dum autem ſanguis non movetur, fieri non poteſt ut non etiam corpus quieſcat ac torpeat.

II.

Galenus, ejuſque ſequaces, cauſam immediatam eſſe volunt, ſpirituum animalium influxum per nervos prohibitum, per humores aut vapores condenſatos, pituitam imprimis lentam, craſſam & frigidam, ab ea enim contingere cerebri ventriculorum, principii nervorum, arteriarum retiſque mirabilis obſtructionem; per hæc enim ut ajunt ex ordine naturæ ſpiritus ex corde in cerebri ventriculos influunt.

III.

Carteſiani credunt hoc in morbo adeſſe nimiam pororum cerebri & plexus choroidei apertionem ac dilatationem, ob quam facile oritur obſtructio pleniſſima cerebri & principii nervorum ab afluente humore peregrino, qua facta ſpirituum animalium influxus denegatur, quo inhibito, membra omnia flaccida, & mortuis ſimilia redduntur. Quod vero, reſpiratio aliquomodo per-

maneat, hoc fieri dicunt; propter majores in ordinario tubulos ad ſeptum transverſum pertingentes, unde ſpiritibus paucis adhuc reſtantibus facilior patet aditus ad cor præcipuum muſculorum.

IV.

Paracelſi Pathologiſtæ, mox a Mercurio Cacochymiali hujus morbi cauſam deducunt, mox a reſoluto coagulato, mox Guttam ajunt ex diſciplina magiſtri generari, ex veneno Martiali, mox ex defectu ſynoviæ, unde putant quod hic affectus, nil ſit niſi ſeparatio & defectus ſynoviæ in parte. Defectus enim ſynoviæ ut addunt, facit imbecillitatem & motus privationem, quando enim ſynovia ſeparatur & deſerit membrum, tunc oritur ſecundum illos gutta, a qua cerebrum cor & pulmones in unam maſſam ceræ adinſtar, illæſis quidem partibus reliquis, æque liquefiant ac gladius a fulmine, illæſa vagina, liquefit. Ne vero diutius in Ægyptiis hiſce tenebris moremur, cum ad aliorum opiniones vocamur mitto B. L. ad Paracelſi tractatum de Gutta.

V.

Helmontuis alios miros hoſtes ſibi fingit, venenum nempe Anodynum & Ens Poteſtativum nominans, iſtiuſque fiendi modum. Tract. de morb. §. 9. explicans; eſt ergo ipſi in Apoplexia virtus quædam tollens ſenſum ac motum. Tachenius Helmontii ſequax; ex coagulante acido aut Gas ſylveſtri extrinſecus per aerem hauſto, ſpiritus figente, & ſanguinis motum atque fermentationem inhibente, hujus morbi cauſam deducit.

VI.

Alii Sal & ſulphur, Narcotica ſpiritus animales figentia accuſant; & quis hic omnium illorum opiniones recenſêret, cum omnes ferè eo colliment, acidum ſua coagulatione has turbas excitare.

VII.

VII.

Denique etiam noſtram opinionem pace tamen rectius ſentientium proferre animus eſt; ſenſationis ergo hujus triſtis cauſas, alias eſſe dicimus internas alias externas, alias proximas, alias vero remotas.

VIII.

Pro internis & proximis cauſis agnoſcimus illa omnia, quæ ſpirituum animalium, in vaſculoſa & tubuloſa cerebri ſubſtantia vel in glandularum cerebri ductibus excretoriis vel ut verbo dicam in toto ſenſorio communi, influxum impediunt aut obſtruunt, qualia ſunt, ſanguis craſſus, concretus, aut grumoſus: item humores viſcoſi, mucoſi, craſſi, ſcirrhoſi, lapidoſi, & plura talia, quatenus arterias vel venarum coitum circa torcular, vel nervorum initia medulloſa, aut medullam cerebri ipſam comprimere aut infarcire valent.

IX.

Ad cauſas vero remotas & externas referre poſſumus ea omnia, quæ ſanguinem inſpiſſant & lentiorem reddunt, aut lympham viſcidiorem efficiunt, quæ quantitatem nimis adaugent, ejuſque ad caput affluxum incitant & cogunt, vel refluxum a capite impediunt: quæ omnia ex ſex rebus non naturalibus ſunt petenda de quibus ſuo loco (in cura nempe Dictetica) agemus. Ad cauſas vero externas referre poſſumus, cerebri nimiam compreſſionem, capitis vulnera, ictum, caſum ab alto, cranii fracturam & alia plura, ex quibus, & ſimilibus, nonnunquam Apoplexiam ortam fuiſſe experientia pluſquam ſemel edocuit.

X.

Ut tanto clarius horum phænomenorum præternaturalium cauſas concipiamus, non inutile hic videtur, ut cauſam functionum animalium corporis veram habeamus idëam, quem in finem eas

mediantibus ſpiritibus animalibns perfici conſiderabimus, quoties videlicet, & quamdiu ſpiritus animales, eorumque organa, bene ſunt diſpoſitia.. Nam legitimam tam ſpirituum, quam organorum, diſpoſitionem, ſequitur in omnes noſtri corporis partes determinatus influxus, qui etiam (ſi omnia rite & ſecundum ordinem procedant) animæ ſubeſt, ut pro ſua voluntate particulares quaſdam actiones producat.

X I.

Quod totum negotium exſequentibus magis adhuc manifeſtum erit, nempe. 1. Spiritus animales per nervos in omnes muſculos motui dicatos in ſano & vigilante ſemper fluunt, qui, quamdiu in æquilibrio ſunt, quieſcunt, ſed æquilibrio hocce (vel præ animæ voluntate vel aliam ob cauſam) ſublato, hoc eſt cum in hunc muſculum, plures influunt ſpiritus animales, quam in oppoſitum ſeu antagoniſtam, ſtatim turgeſcit, & ex dilatatione ventris muſculi cauda accedit ad caput, in quo omnis voluntarius conſiſtit corporis motus. 2. Spiritus animales ſufficienti in quantitate per nervos fluentes, fibrillas eorum funis adinſtar extendunt, ut ſi ab externis objectis præter conſuetudinem concutiantur, principium nervorum in cerebro ea concuſſione eodem momento afficiatur, quam cum ſpiritibus in ventriculis cerebri exiſtentibus communicant, iiſque mediantibus eam ad glandulam principalem ſeu ſenſorium commune deferunt, qua anima externarum rerum conſcia ſit. 3. Spiritus quoque iſti fluunt in partes voluntario motui non dicatas, ut in cor, pulmones, ventriculum, inteſtina &c. ita ut anima motum iſtum pro voluntate retardare vel penitus ſiſtere nequeat; attamen hoc cum aliis commune habent, quod per horum ſpirituum influxum dilatantur & anguſtantur, quo deſtinatas ſuas functiones melius perficiunt; præterea ſpiritus quidam per poros in cavitates ipſarum fluunt, quibus ſanguis melius in corde efferveſcit, per vaſa circulatur, fermenta magis ebulliunt & humores melius in quibuſdam patribus ſegregantur. 4. Et ultimo, fibrillarum muſculorum omniumque partium tubuli per huncce ſpirituum influxum ita pateſcunt, ut particulas nutritioni idoneas tanto melius recipere & transmittere que-

queant. Ex quibus dictis facile conſtat, quanta ſit ſpirituum animalium influxuum in omnes partes noſtri corporis neceſſitas: Hi enim imminuti, imo penitus impediti, qualia non inferent ſymptomata! præſertim in Apoplexia, in qua ſtatuimus hunc influxum penitus vel prope penitus impediri, vel a ſanguine extrrvaſato vel a materia viſcida, vel a quacunque cauſa principia nervorum obſtruente vel comprimente.

CAPUT. V.

De Apoplexiæ Prognoſi.

I.

Enumeratis hactenus cauſis, a quibus tanquam prolificis parentibus affectus ille dependet. Jam meditatio noſtra devolvenda eſt ad prognoſin, quid nempe de hoc affectu prædicendum ſit qua in re ut curioſus ſit Medicus neceſſe eſt, quippe juxta illud ſenecæ lib. 6. de Benef. C. 16. pro ægroto & fama artis timere debet: adeoque hic non temerario ſed magna cum prudentia & rite prius penſitatis ægrotantis & morbi viribus; quicquam de ſignis ſalutis & mortis dictatorie pronunciare poſſumus; quamobrem me hoc in caſu ad Hippocratem converto, qui tum a vehementia morbi, tum a natura intemperiei naturalis ægrotantis; tum ab ætate huic morbo obnoxia, tum a ſymptomatibus in morbi decurſu hæc ſigna prognoſtica petit.

II.

Generaliter itaque dicendum (juxta ſect. 2. Aphoriſm. 42. Hippocratis, ubi hæc inquit ſolvere Apoplexiam fortem impoſſibile eſt: Debilem vero non facile) quod omnis Apoplexia ſit morbus acutiſſimus, periculoſiſſimus & difficultatibus non minus plenus, cujus periculi magnitudinem ſatis facile metiri poſſumus ex iſta difficillima reſpiratione, & præſertim in fortiſſima Apo-

 plex-

plexia, in qua ipſa reſpiratio ita obliteratur (quæ inter omnes animalie functiones maxime neceſſaria reputatur) ut vix percipi queat aut cum ſtertore, prout in moribundis obſervare licet; ita ut nonnunquam Apoplectici mox pulſu & reſpiratione privati & paulo poſt infrigidati animam exhalaſſe videantur: De quibus Clariſſimus Williſius nos tamen monet in Praxi ſua Cap. VIII. De Apoplexia Pag. 222. ut tales non ſtatim lecto eximantur aut adminiſtrationibus medicis deſtituantur, quamvis vitæ ſpes nulla affulſerit, tamen non niſi poſt tres quatuorve dies ſepulturæ mandentur, quippe tales (inquit Clariſſimus iſte vir) aut ſponte aut remediorum uſu nonnunquam reviviſcunt, quod certe evenire putat, non propter calorem vitalem denuo in corde exuſcitatum, ſed quatenus materia morbifica e cerebello diſcuſſa vel evaporata, cordis motus, tanquam horologii ponderibus appenſis redintegratur.

III.

Apoplexiam ſubito & inopinate homines invadentem, nihilque de vehementia remittentem, periculoſiſſimam eſſe, & in ea hominum vitam brevi terminari, idem affirmat Hippocrates ſect. nempe 6. Aphor. 51. Qui valentes (inquit) repente doloribus capitis corripiuntur & protinus muti fiunt & ſtertunt: intra ſeptem dies pereunt niſi febris intervenerit, & alibi Apoplexia repente oborta ſolubilis adveniente lenta ſebre mortifera eſt. Reſpirationem maxime laborioſam in forti Apoplexia cum in æquali & intermittente pulſu pæſentiſſimum periculum præſagire idem docet Hippocrates. Apoplexia ſenibus magis familiaris eſt quam juvenibus. Vide Hippoc. ſect. 6. Aph. 57. Apoplexiæ autem fiunt maxime a quadrageſimo anno ad ſexageſimum uſque. In obeſis & pinguibus quoque periculo non carêre videtur, quod ex ſect. 2. Aphor 44. clariſſime patet, ubi hæc habet Hippoc. qui natura, ſunt valde craſſi, breviore vita fruuntur, quam graciles. Dum hieme perfrigidi venti ſpirant, denſæque nebulæ cælum obſident, hic morbus quoque potiſſimum homines inſultare ſolet. Vide ſect. 3. Aphoris. 23. Hyeme pleuritides, pulmonis inflammationes, lethargi, gravedines, raucietates tuſſes; dolores pecto-

res

ris laterum & lumborum, cephalalgiæ, vertigines & Apoplexiæ. Melancholicis quoque Apoplexiam familiariſſimam eſſe idem docet Hippoc. ſect. 6. Aph. 56. Morbis melancholicis per hæc tempora ſuſpecti humorum decubitus, vel Apoplexiam corporis, vel convulſionem, vel maniam vel cæcitatem denunciant.

IV.

Apoplecticis ſi a difficili reſpiratione ſudor ſuperveniat, lethale eſt. non minus quoque periculoſa eſt Apoplexia, ſi juvenem, atque æſtate invaſerit vide Hippoc. ſect. 2. Aph. 34. minus periculoſæ, ægrotant ii quorum vel naturæ, vel ætati vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quam quibus horum nullo affinis cognatuſque exiſtit. Apoplexia, in qua reſpiratio cum magna violentia eſt, ſtertorque auditur, & ſpuma circa os apparet, admodum periculoſa habenda eſt: de qua vide Hippoc. ſect. 2. Aphor. 43. ſtrangulati & ſuffocati nondum tamen mortui ad ſe non redeunt, quorum circa os collecta ſpuma apparet.

V.

Apoplexia ſanguinea periculoſior, & curatu difficilior eſt, quam pituitoſa, & hanc quidem ob rationem, quia ſanguis quamprimum extravaſatur, ſtatim ejus aquoſæ & ſpirituoſæ particulæ avolant & diffluunt, quæ reliquæ & terreſtres ſanguinis particulæ grumeſcunt, qui grumi difficile a ſe mutuo ſeparantur; idcirco talis Apoplexia, ſi non cito curetur quoque lethalis eſt habenda. Pituitoſa vero nonnunquam curam admittit, verum ſæpiſſime in Paralyſin unius aut alterius partis aut Hemiplegiam tranſit, quamvis vero in Paralyſin deſinat, non tamen ſemper ſervatur æger, quia tunc ſæpe aut morbus ipſe redit, aut ſoper gravis prehendit, a quo æger non raro ob ſummam cerebri debilitatem evadit. Apoplecticos, quibus hæmorrhoides, fluxus menſtruorum, aut profluvia ſanguinis e naribus ſuperveniant, ſæpe curari, Hippocrates in coacis ſuis affirmat.

CAPUT VI.

De Apoplexiæ Curatione.

I.

Poſt conſideratos modos, unde morbus hic oriatur & quid inde prædicendum ſit, reliquum eſt ut ad curam deſcendamus, quæ ſane (uti ex diris hujus affectus ſymptomatibus manifeſte patet) non facilis verum difficillima exiſtit; ita ut medicus ad ægrum vocatus, ſi eum Apoplexia correptum videat, eamque fortiſſimam iſſe animadvertat, non temere aut facile ejus curationem ſuſcipiat; ne tamen plane eum deſeruiſſe aut neglexiſſe videatur, ante omnia ſignis rite penſitatis naturam præeuntem ducem ſequatur, & ubi neceſſitas exegerit inertem adjuvet.

II.

Ut unicuique cauſæ per ſua indicata ſatisfaciamus, dicimus, Venæ ſectionem in Apoplexia ſanguinea, ſive noctu, ſive de die, eſſe inſtituendam, eamque (pro ratione virium,) eſſe iterandam, & reiterandam, ut ea, illa vaſorum turgeſcentia, abundantia, motuſque ſanguinis imminuatur, & hoc pacto apertio vaſorum anguſtetur ſanguiniſque extravaſatio ſiſtatur. de venæ ſectionis neceſſitate monet nos Cornelius Celſus lib. 3. capite 27. ſi omnia (inquit) membra vehementer reſoluta ſint, ſanguinis detractio vel occidit vel liberat. aliud curationis genus vix unquam ſanitatem rèſtituit, ſæpe mortem tamen differt vitam interim infeſtat. Poſt ſanguinis miſſionem ſi non redit, & motus & mens nihil ſpei supereſt, ſi redit, ſanitas quoque conſpicitur. Contra in pituitoſa a ſeri abundantia aut materia viſcida & glutinoſa originem ducente non ita convenire puto venæ ſectionem, niſi ægri ſint aſſucti, ea mediocris inſtitui poſſet, eum quidem in finem, ut ſanguis imminutus, propter majus ſpatium melius fermentari, & medicamentis alterari, incidi, & miſceri poſſet. Noto denique, ſi morbus

ægris

ægris prævaluerit, aut ægrorum vires non ferant, aut ſi mors præ foribus adſtet, venæ ſectionem potius negligendam eſſe quam ægrorum mortem feſtinare.

III.

Phlebotomia celebrata mox Clyſteres acres ano ſunt injiciendi, qui quoque iterandi & reiterandi ſunt; qui clyſteres coqui poſſunt ex herbis cephalicis: quæ ſunt Roſmarin: Lilia convall: Ruta: Lavend: Origan: Flor ſtæchad: arab: centaur: min: Rad: pæon: Imperat: & ſimiles, cui decocto addere poſſumus pulpam colocyntidos, vinum emeticum turbidum, & ſimilia; acribus enim clyſteribus irritatis inteſtinorum membranis, totum per conſenſum genus irritatur nervoſum: eum quoque in finem ut humores in cerebro ſtagnantes & obſtructiones in eo producentes ex ſuo loco demoveri & ſpiritibus animalibus liberum influxum concedere poſſent, ob eandem irritationem conſequendam neceſſaria puto veſicatoria acria, & ſatis magna, ex cantharidibus præparata, quæ brachiis, cruribus & præſertim inter ſcapulas applicari poſſunt, item conducunt cucurbitulæ cum ſcarificatione applicatæ cruribus, brachiis, lumbis & ſcapulis, non vero poſteriori thoracis parti, aut hypochondriis, ne contractis thoracis & abdominis muſculis reſpiratio magis impediatur; curandum interim, ut tempora & nucha ſæpiſſime cum oleis ſtillatitiis multo ſale volatili fætis fricentur, uti, oleo ſuccin cornu cervi: lavendul: majoran & ſimilibus. Ori caſtoreum cum ſucceſſu imponi poteſt: naribus ſæpius balſamus apoplecticus, ſp. ſalis ammoniaci, fuligin: rectificat & in genere omnes ſpiritus ex animalium partibus eliciti proſunt; quæ omnia ilico ſunt peragenda nam ſi alibi, hic certe illud Ovidii locum habet.

Vidi ego, quod primo fuerat ſanabile vulnus
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

IV.

Paroxyſmo ſublato & ægro excitato, in Apoplexia ſanguinea, in uſum vocari poſſunt varia lacticinea hordeata cum ſemin: frigidi

gidis & cephalicis compoſita, Item Juſcula ex animalium extremitabus facta nullo aut pauco ſale condita, quibus gummi ammoniaci quippiam addere licet, quibus remediis non ſolum acrimonia ſanguinis involvetur, verum etiam vaſcula diſrupta per gummi viſcoſtitate conſolidabuntur, curandum interim, ut alvus ſemper laxa ſervetur, & hic potius clyſteres adhibendos eſſe puto, quam purgationes, ne propter vehementem ſanguinis motum, & efferveſcentiam, plus ſanguinis extravaſaretur.

V.

In Apoplexia vero Pituitoſa, in qua tantum materia viſcida & glutinoſa peccat maxime prodeſſe puto purgantia, & ea quidem ſi opus fuerit, repetitis vicibus doſi aucta adhibenda eſſe, eum quidem in finem, ut materia peccans verſus inferiora derivetur & corpore educatur, quod ſequentibus purgantium, tam ſolidorum quam liquidorum formulis effici poteſt. E. G. ℞. Extract. Cathol. gr. XV. mercur. dulc. gr. VIII. Throcis alhand. gr. V. ol. macis ſtillat. gutt. III ſal. volat. ſuccin gr. V. M. F. Pilulæ. N°. Vij. pro una doſi. conducunt hic quoque pilulæ Cochiæ ad ℈j ſi vero liquida magis arrideant egregius ſequens exiſtit hauſtus. ℞. reſinæ Jalappæ gr. VII. ſcammon. gr. IV. Tartar. vitriolat gr. X. diſſolvantur S. A. in vitell. ovi. adde Aq. menthæ, majoranæ lavendulæ aa q. ſ. ut fiat Hauſtus. vel ℞. Pilular, Cochiar. major. ℈j diſſolvatur S. A. in Aqæ. fæniculi ℥iij cui adde ſal. Polychreſt. ℈j ſyrup Cichor c. rheo. ʒiij ut fiat Hauſtus.

V. I.

Diebus aliis a purgatione vacuis ad medicamenta alterantia & cephalica nos convertamur, quæ parari poſſunt ex conſerv. flor. lilior. convall. rad. & ſem. pæon. maris, cranio human. præp. corall. rub. præp. margarit. ſuccin. &c. item ad decocta materiam iſtam tenacem incidentia & attenuantia quæ coqui poſſunt ex rad. chinæ, ſalſæparillæ, Enulæ campanæ, ligno guajaco, cortice ejusdem, ſaſſafras, cortice tamariſc. rad. cappar. Herb.

ma-

majoran. ſalv. rutæ, betonic: fol. lauri, flor. ſtæchad. ſemine dauc. pæon. fœniculi, aliiſque ſimilibus.

VII.

Materia peccante è corpore ejecta, optime hic audiunt ſpirituoſa, ut ſunt omnes aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ & odoriferæ, ſalia quoque volatilia tam vegetabilium, quam animalium, & mineralium. E numero vegetabilium ſunt herbæ cephalicæ & varia aromata, eorumque ſpiritus volatiles. Ex animalium cenſu depromi poſſunt volatilia C. C. cran. & oſſ. human. ſpir. formicar. volat. & ſal. Ex mineralium claſſe proficua ſunt: ſal volat. ſuccin: liquor C. C. ſuccin. Tra. auri Clauderi. maxime quoque commendantur ſpiritus ſalini volatiles, uti ſpiritus fuliginis, &c.

VIII.

Interim in id incumbendum cenſeo, ut omnis materia peccans preſſionem in partes cerebri faciens a capite ad loca inferiora derivetur quod non ſolum medicamentis internis, verum etiam & externis, obtineri poteſt; ut fotu, balneis, vaporibus, veſicatoriis, apoplhegmatiſmis, gargariſmis, cucuphis, ex herbis cephalicis præparatis, item oleis ſpirituoſis, & ſimilibus, quæ omnia in hoc morbo apud plurimos auctores præſentanea audiunt remedia. Notandum denique ne Cardiaca plus juſto calida ac nimis frequenter, & præſertim in principio, per os, exhibeantur, nam quacunque demum ſpecifica virtute pollere videantur, plus damni quam emolumenti ægris apportant, utpote quæ humores fundere (ac proinde malum augere) apta nata ſunt; quod incommodum ſæpe non minus infertur ex nimia ſtragulorum congeſtione.

IX.

Breviter jam iis, quæ ad hujus curationem affectus ſpectant, digito tactis, progredimur ad Diætam, quæ vertitur in ſex rebus non naturalibus genuinis Æſculapii filiis ita dictis; de qua Diæta

recte ſcribit Hippocrates lib. Aphor. 1. non ſolum Medicum ſed & adſtantes & ægros officio ſuo fungi debere, alias remedia adminiſtrari nequeunt. ſi quæ recte medicus præſcripſit, adſtantes aut omittunt aut intempeſtive adhibent, aut inconſulto medico aliquid circa ægros moliuntur, quod poſtea ipſis futurum eſt nocivum. ſolent enim mulierculæ, quæ ægrotis adſident vel inſerviunt, tam affines, quam amici, ægrum inviſentes, in eorum totalem perniciem cibos obtrudere quam plurimos, & ſæpius ad vires, prout garriunt, ſuſtinendas, & hinc plus damni quam emolumenti ægris apportant. ut videre eſt ex Aphor. 9. ſect. 2. Corpora impura quo plus nutries, eo magis lædes.

X.

Inter ſex res non naturales, primum locum ſibi vindicat Aër, qui in hoc morbo calidus & purus eſt eligendus, vitetur ergo impurus nebuloſus, frigidus, & pluvioſus, monente Hippocrate ſect. 3. Aphor. 16. Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alvi fluxiones, putredines, comitiales morbi, Apoplexiæ &c. Cibus eligatur boni ſucci, qui facile digeratur, minimeque exiſtat flatuoſus, nec acris; quare vitentur omnia ligumina, fabæ, piſa &c. conducunt vero Juſcula avenacea, hordeacea, ut & ex pullis gallinaceis confecta, quandoque etiam (præcipue inter purgandum) caro pullorum, agnorum, ac id genus ciborum eupeptῶn.

Potus ſit vinum aquoſum, vel aqua cum pane aut cephalicis cocta dilutum. Non ergo hauriatur cereviſia craſſa, non bene fermentata, item vinum generoſum ad ebrietatem epotum, quod ſcilicet, ceu ſupradictum, ſanguinis effervescentiam adaugeat, indeque multas particulas indomitas ad cerebrum protrudat. ſalutis enim frequentes potationes quantum damni valetudini non inferunt? Juxta illud.

Qui vult alterius cyathis haurire ſalutem.
Sic ne lucrum referet, perdat ut ipſe ſuam.

Motus atque Exercitium convenit temperamentum.

Sommus ſit moderatus. Diurnus & diuturnus nocet. Nimiæ etiam nocent vigiliæ, quæ ſpiritus animales exhauriunt, cerebrum que

que ac totum nervoſum genus debilitant. Excrementa alvi arte aut natura promovenda ſunt indies. Eadem ratio eſt aliorum fluxuum ordinariorum, menſium, hæmorrhodium &c.

Æger animi perturbationes minime admittat, iram ſcilicet, mærorem, triſtitiam, &c. quia ex iis Apoplexia pluſquam ſemel originem ſuam duxit.

X I.

Chirurgia nonnunquam in hoc morbo ſuppeditat auxilia, & præſertim, ſi Apoplexia oriatur a cranii fractura, caſu ab alto, aut a ſanguinis extravaſatione, quo in caſu ſummo cum ſucceſſu trepano uti poſſumus, de cujus inſtituendi methodo legi poſſunt Barbette, van ſolingen, ſeverini, & aliorum, libri, qui de Chirurgia ex profeſſo ſcripſerunt. Hiſce ad finem propero, atque B. L. ut, ſi quid præter vires ad greſſus hinc inde ſpe mea exciderit, æqui bonique illud conſulere velit, etiam atque etiam rogo. Deum interim T. O. M. precor, ut benigna manu admota & propinata Pharmaca ſemper felicitet: nam.

Ni Deus affuerit vireſque infuderit herbis.
Quid rogo Dictamnus, quid Panacæa Juvet.

COROLLARIA.

I.

Vulnera veſicæ non abſolute ſunt lethalia:

II.

Calculi non generantur in Veſica ſed in renibus.

III.

Nulla datur fermentatio in ſanguine.

IV.

Tympanites non eſt ſpecies Hydropis.

FINIS.